



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

17. S. Gertrudis Abbatissa

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

264 XVII. Martii. S. Gertrudis Nivigel.

SSS. Trinitas benedicat opera nostra, ut
benedixit S. Isidori, præmittamus cui-
libet notabiliore negotio *Iria Pater &*
Ave cum Gloria Patri & oratione:
Actiones nostras &c. Dulcis est labor,
quem condit pietas, & sancta devotione.
Festum S. Gertrudis Abbatissæ
Nivigelensum.

EXHORTATIUNCULA I.

UT soli desponsata Christo maneret,
è domo aufugit Patris Pipini Bra-
bantiæ Ducis. Alas dedit fugienti amor
Virginitatis, & primæ innocentia. Filii
quoties periclitamur, quia occasiones
non fugimus? Imposterum prævaleat
quieta mens, & tranquilla conscientia.
Perfecta charitas habetur *de corde puro,*
conscientia bona, & fide non ficta. S.
Laur. Just.

Instructio meritoria.

Id haud impetrabimus sine speciali
Dei gratia. Ad quam impetrandum, uti
& ad avertendas omnes peccandi occa-
siones proximas recitemus quinque Psal-
mos Nomi Mariæ alias designatos, &
Ma-

Mariophilis ex usu frequentiori sat̄is notos cum Lytaniis Lauretanis in fine. Extrā periculum, & celi jactum sumus, dum sub Mariæ Præsidio stamus. Periissemus sapiūs, si nos non servâsset pietas Matris.

II.

Contremiscimus ô fili! dum mortis occurrit memoria. Et meritò: Est enim mors omnium terribilium terribilissima. Quid autem hoc? S. Gertrudis in lucta ultima lætatur, & jubilat. Causa hujus quæ? Deipara agonizanti adest, suóque conspectu exhilarat filiam. Non timet in morte, qui MARIAM unicè diligit in vita. Hinc illa S. Bernardi exclamatio: *Certe Domina, cum te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno; nam promiseris Mater Dei facta es.*

Instructio meritoria.

Quoties sanctum Mariæ Nomen hodie audierimus, toties illud capite inclinato, & detectō revereamur, cuius honor, gloria & amor ut exeat in omnes fines terræ, oremus Rythmum S. Casimiri: *Omni die dic Maria mea laudes*

M des

266 XVII. Martii. S. Gertrudis Nivigel.
des anima. Si ego Mater : Ubi honor?
Ubi amor meus?

III.

Tam mortis proxima Gertrudis sancta
ardenter supplicat, ut cum sacro
velamine, ac assueto cilicio sepeliretur,
nolens ea ponere arma, quibus carne ex-
pugnatâ, illibatam servavit animam.
Hostes undique cernimus, fili! & arma
abjicimus? Ah! quæ erit nostra sine his
lucta ultima? Si non pessima, certè peri-
culosissima.

Instructio meritoria.

Sine S. Scapul'ari, & Rosario Mariano
præf. rtim noctu nunquam inveniamur,
quia sunt signa salutis certissima. Hæc
sæpius exosculemur, & ut in- & cum his li-
ceat mori, coram S. Icone, vel Altari
Beatissimæ Virginis renovemus flexis ge-
nibus formulam votivam cum hymno:
Ave Maris Stella. Magna gratia, pu-
gnare sub vexillis MARIAE. Hæc ser-
vant justos, terrent impios, pellunt in-
feros. Hominibus enim data est Maria
in liberationem, dæmonibus in hostem.
B. Petr. Dam.

F

